

Barthold Krakewitz von Theodor Essen von


**De Universali Satisfactione Christi, Pro Omnibus Omnium Hominum Peccatis,
Disputatio Theologica ordinaria**

Gryphiswaldiae: Albinus, 1618

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730465845>

Druck Freier  Zugang






Ep. 368 p
A - H
B - I
- A - E
A - D
A - D
A - E

AD

57 6. 7.

Fig - 11871 - 7.



827

De
UNIVERSALI SA-
TISFACTIONE CHRI-
STI, PRO OMNIBUS OMNIUM
HOMINUM PECCA-
TIS,

Disputatio Theologica
ordinaria

Publicè proposita,

à

BARTHOLDO KRAKEVITZ, SS. Th. D.
Ecclesiarum citerioris Pomeraniæ Superintendente,
& Professore in Academia Gryphiswaldensi ordi-
nario,

Respondente,

THEODORO von Essen Gryphiswal-
densi Pomerano.


Habebitur 28^{to} Febr^{is} 28 Martij horis ante-
meridianis

GRTPHISWALDIÆ,

Excudebat JOHANNES ALBINUS, Anno
M DC XXIIX.

Magnifico, Nobilissimo & Praestantissimo
Viro,

Domino HUCHOLDO BEHREN, Il-
lustrissimo Megapolensium Duci Seniori à Consiliis, Capita-
neo Iuenacensi, hæreditario in Huchelstorf, Domino, ami-
co, & fautori meo honorando. S. D.

ogitanti mihi sapiuscule, Magnifice, Nobilis & Prae-
stantissime vir, fautor plurimum honorande, quo pacto ani-
mi mei erga M. T. singularem propensionem, ex admiratio-
ne praestantium & verè heroicarum dotium, quibus pra mul-
tis aliis istius ordinis viris M. T. eximie instructa est, exortam, & hu-
manitate atque benevolentia tua aliquot jam annos sotam, publice
declararem, haectenus quidem nulla, aut certè non admodum idonea,
mihi unquam affulsit occasio.

Quod igitur diu satis, non sine indignatione, intermissum à me est,
nunc quodammodo (saxit Deus ut feliciter) expedire conor, quando
Poculum Immortalitatis, quod confectum est de infirmitate
nostrà & virtute divinà, quodque in se habet, ut OMNIBUS
profit, si modo bibatur, (sicuti de merito & satisfactione Christi,
ejusq; amplitudine, Numen illud Africanum solitã grandiloquentia
differit) thesibus hisce annexis nonnihil expolitum, M. T. inscribo, &
publicã hãc compellatione quasi propino.

Hoc meum qualecunq; studium, ex animo, M. T. reverã addictissi-
mo, profectum, ut eadem benevolè respiciat, & mihi deinceps quoque
sincerè saveat, reverenter & officiose rogo,

DEUS pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum
ovium, in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum
Jesum Christum, M. T. omnesque adeo fideles Christianos in-
staret in omni opere bono, ut faciant voluntatem ejus, effi-
ciens in illis, quod placeat coram se, per Jesum Christum, cui
est gloria in secula seculorum, Amen. Hujus æterni ac prepoten-
tis Dei paternæ protectioni M. T. diligenter commendo. Scripsi Gry-
phisvaldiæ, VII Id. Martij Anno M. DC XVIII.

M. T.

addictissimus

BARTHOLDUS KRAKEVITZ D.

Augustin.
tom. 7. in
responsio-
ne ad arti-
culos sibi
falsò im-
positos.

Heb. 13. v.
20 &c.

I. N. D. N. J. C. A.

Disputatio

DE UNIVERSALITATE MERITI ET
satisfactionis Christi, pro omnibus omnium
hominum peccatis.

THESIS I,



*U*M hoc anni tempore in eo
Christi Ecclesia potissimum oc-
cupata sit, ut magnitudinem
atque amplitudinem pretij re-
demptionis nostræ, in passione
ac morte Salvatoris, oculis fi-
delibus aspiciat, corde anbelo
indaget, & linguâ hilari ac gratâ deprædicet:
non alienum quoque à nostro erit officio, si labo-
ribus scholasticis, in eodem pietatis stadio, nos
etiam & fidei nostræ commissos nonnihil exercea-
mus, & de crucis Dominicæ pretiositate, indeq; de-
pendente nostræ sufficientia, sententias pla-
cidè & in timore Domini conferamus.

II.

Id ut eò faciamus diligentius, Sacramenta-

A 2

rio-

reriorum, hostium crucis Christi, & profli-
gata, in restringenda meriti & satisfactionis Chri-
sti magnitudine atq; efficacia, impietas, concla-
mato hoc Ecclesie tempore nos non immerito ex-
timulat.

III.

1 Corint. I.
v. 17.
2 Corint. 2
v. 14.

Si enim crucem & satisfactionem Christi ij
evacuant, qui ἐν σοφίᾳ λόγου, seu, ut idem Apostolus
sepe latius explicat, ἐν πλεοῖς ἀνθρώπων σοφίας λόγοις
eandem predicant: quanto magis eos merito Sal-
vatoris nostri detrabere, illudq; indignis modis
elevare putabimus, qui Christum non pro omni-
bus in univ^{er}sum hominibus: sed aliquã tantum
eãq; minima generis humani parte, solis videlicet
electis, satisfecisse, & scribunt & sentiunt.

IV.

Ab bis ut nos etiamnum, contra quã de Ec-
clesiis nostris Sacramentarij falsò jaçtitant, alie-
nissimos per Dei gratiam esse testatum publicè fa-
ciamus, quãnam de pretio redemptionis nostræ
vera Ecclesie Christi mens sit, sine longiori exor-
dio declaraturi, duobus subsequētib; membris
nos, quam fieri potest, brevissimè expediemus.

Initiò Sacramentariorum sententiam, ex
scriptis in Ecclesia prostantibus, bonã fide eru-
tam, proferemus.

Debi-

Dehinc, veriore[m], quam Christi societas tenet, doctrinam recitabimus, & partis adversæ argumentis ad publicum conflictum consultò rejectis, thesin nostram fundamentis ἀμετακινήτοις fulciemus.

Christum intere[ad] ἀμεσίτω καὶ ἰκέτω nostrum unicum, ut spiritu suo mentem, calamum & linguam nostram clementissimè gubernet, nosq[ue] in veritate sanctificet, supplices ac devotè oramus.

Erronea Sacramentario- rum de merito & satisfactione Christi sententia.

V.

Varia adversariorum in erronea de coarctatione meriti Christi doctrina coloranda, fingenda & pingenda deprehenduntur artificia.

VI.

Nonnulli id quod sentiunt rectè & sine circuitione etiam proloquuntur ac scribunt, negantes manifestè, Christum pro omnibus in universum, nemine excepto, hominibus obedientià ac morte suà satisfecisse, eosq[ue] quantum ad salutis acquisitionem attinet, unquam redemisse.

VII.

Alij, etsi eandem omninò sententiam in cordis

in proe-
mio lib. 1
contra Va-
lent.

dis sui latebris tenaciter fovent: phrasi tamen propius ad nos accedere videri volunt, adeoque ex illorum censu ac numero sunt, qui (ut de sui temporis heterodoxis Irenæus alicubi) ὁμοια nobiscum quodammodo λαλῶντες, αὐόμοια φρονῶσι.

VIII.

Quinet, ut nostrarum Ecclesiarum sententiam apud suos suspectam magis reddant, & vulgus imperitum ab ea facilius avertant, quæ de universali acquisitione salutis, morte Dominicæ partæ, à nostratibus ex verbo Dei proferuntur, cum applicatione, solis fidelibus atque electis competente, scientes volentes confundunt, nobisque Huberi, Puccii, ac similium erroneorum spirituum fanaticas opiniones & phrasas incommodas, calculo nostro nunquam comprobatas, calumniosè affingunt.

Vide dispu-
tationem
Paræi, pro
Theologie
Doctoratu
habitam
thesi 15 &c.

IX.

Has hostium veritatis technas prævidentes, opera nobis danda, ut justo ordine in apricum producantur, quomodoque vel tandem in communi errore unanimiter consentiant, nonnihil ad huc detegendum erit.

X.

Ex iis itaque, qui maximam hominum partem à Christo, mundi Salvatore, redemptam non esse,

*esse, totidem penè verbis scribunt, hic tantum
producimus sequentes.*

XI.

1. Theodorum Bezam, *cujus in Colloquio
Mompelgartensi verba prostant hujusmodi:*
Num verò Christus totius mundi peccata sustu-
lit, ut vos (*Würtembergenses*) de singulis homi-
nibus interpretamini? Et certè nobis intolerabi-
lis vox vestra visa est, Christum esse mortuum
pro damnatis?

In notis ad
theses de
prædest. f.
513 & 114.

XII.

2. Hieronymum Zanchium, *qui sic habet:*
Sanguis Christi, per quem solum impetratur
remissio, non est secundum propositum Dei, &
re ipsa, pro reprobis incredulis effusus: sed tan-
tùm pro quibusdam multis, *hoc est* electis, &
quidem pro omnibus istis multis.

In Miscell.
disput. an
remissio
peccato-
rum possit
fieri irrita
thesi 4
pag. 271.

XIII:

Idem alibi: Cum ait Johannes: Ipse (*Chri-
stus sc.*) est *ἰλασμός* pro peccatis nostris, non pro
nostris autem tantum, sed pro peccatis totius
mundi: Nomine mundi accipienda est potior
pars mundi, *id est*, ipsi electi, qui unquam fue-
runt, aut futuri sunt in mundo.

In miscel-
lan. de
Christo
advocato
cap. 4.

XIV.

3. Johannem Piscatorem, *qui parte secunda
dispu-*

fol. 39 & fe-
quentibus.

Disputat.
de morte
Christi
pag. 279.

Vide Iren.
cap. 28.

Augustin.
tom. 7 ad
artic. sibi
falso im-
positos.

*disputationis de predestinatione adversus D. An-
drea Schafmannum, Christum pro singulis
hominibus mortuum esse, itidem expresse ne-
gat, & quatuor argumentis negativam istam
confirmare annititur.*

XV.

4. Amandum Polanum, *superioribus ita sub-
scribentem*: Pro quibus effusus est sanguis
Christi in remissionem peccatorum, ad eos
pertinent utilitates mortis Christi. At pro SO-
LIS CREDENTIBUS effusus est sanguis Chri-
sti in remissionem peccatorum. Ergo. &c. *Ad-
jungat his, qui volet, ejusdem notæ ac farinae
alios complures.*

XVI.

*Contra, Palatini moderni, & inter hos Paci-
ficator (vel quasi) Paræus, sibi ac complicibus
suis in hoc doctrine capite injuriam maximam
feri conqueritur, istumq; articulum: Quod Do-
minus noster Jesus Christus non pro omnium re-
demptione sit passus & mortuus, ut B. Augustino
olim, ita quoque Calvinianis, seu Reformatis,
falso imponi scribit.*

XVII.

*Quod enim (pergit ex Augustino idem)
magnitudinem & potentiam pretii attinet, san-
guis*

guis Christi totius mundi redemptio est. Sed qui hoc seculum sine fide pertranseunt, redemptionis alieni sunt.

XVIII.

At verò lachrymæ istæ Paræi non seriæ, sed Crocodili sunt. Augustinum namq; in initio quod attinet, quæ illius de meriti Christi Universalitate mens sit, & quantopere à Paræo & sociis hinc discordet, vel inde etiam constare sufficienter potest, quod universum mundum, prout à Christo conditus est, morte etiam Christi reparatum, quodq; pro impiis etiam, & æternum pereuntibus, Christum mortuum esse, non uno saltē loco scribit. Quæ Augustini sententia cum à Clarissimo quondam Hüttero in solidissimâ Irenici refutatione, disertè sit probata, eò lectorem brevitatis studio remitto.

Vide Aug. tom. 8. in Pfal. 95. tomo 9. lib. 2. cap. 6. de symbolo. tom. 10. sermon. 114.

fol. 242, & 243.

XIX.

Ad distinctionem inter sufficientiam & efficientiam mortis Dominicæ, quod spectat, etsi eam sano sensu à Scholasticis & Patribus etiam nonnullis usurpatam minimè negamus: Sacramentarios tamen eâ longè aliter, ac priores isti, uti, immò abuti, & simpliciores sub prætextu ejusdem fallere, sic demonstramus.

Innoc. 3. li. 5. cap. 41. myster. Missæ. Lomb. lib. 3. dist. 20. Thom. super Apoc. cap. 5.

B

XX. De

XX.

De Patribus constat, & infra latius, allegatis ipsorum testimoniis, probabitur, quod Christum morte atq; obedientia sua pro omnium, etiam damnatorum, peccatis satisfecisse, & univ. sum mundum, quoad salutis acquisitionem, actu verè redemisse, senserint; ut ita sufficientia mortis Christi illis idem sit, quod sufficiens & verè acquisita totius mundi, omniumq; adeo & singulorum hominum, salus.

XXI.

Beza part.
2 resp. ad
acta p. 192.
Folanus
disput. de
morte
Christi.
Beza in
thes. Gen.
fol. 129.

part. 2 re-
fut. p. 217.

Ab hac venerandorum Patrum Orthodoxia Calviniani tantopere absunt, ut 1. Christum pro generibus quidem singulorum, non autem singulis generum, 2. pro electis tantum passum credant, 3. Phrasin etiam istam [Christus mortuus est pro omnibus hominibus sufficienter] à prologis, accusent, & 4. sive consilium Dei, sive passionis effectum, sive utrumque spectes, pro impiis Christum Nullo modo mortuum, istamque distinctionem, inter sufficienter & efficienter, meram tergiversationem esse, ipsimet totidem verbis pronuncient.

XXII.

*Quid ergo non sufficienter, sive magnitudo & potentia pretij Paræo & sociis est? Res in rerum
natis-*

natura non existens, nec voluntate Dei unquam probata, nec consilio Dei conformis, nec actu unquam usquam perfecta: sed tergiversatio & glaucoma, oculis Christianorum dolosè hactenus objectum.

XXIII.

Manet proinde, Sacramentariorum animos circa præsens doctrinæ Christianæ caput in eo suaviter conspirare: Quod Christus neque ex voluntate Dei Patris, neque ex suâ ipsius intentione, pro omnibus in univèrsum hominibus, & singulis, ne uno quidem neglecto, individuis, unquam satisfecerit, usq; salutem æternam, obedientiâ, morte ac passione suâ, acquisiverit.

XXIV.

Hæc verè horrenda doctrina est, omnem solidam consolationem miseris peccatoribus præripiens, & baratrum desperationis mirificè dilatans, quâ, unâ cum authoribus suis ad extremos Garamantas relegatâ, puriorem Lutheranarum Ecclesiarum sententiam secundo loco nunc explicabimus, suisque fundamentis communiemus.

Lutheranorum de Uni-
versalitate meriti & satisfactionis Chri-
sti fides.

XXV.

*Orthodoxam itaque sententiam de amplitu-
dine satisfactionis Christi, pro transgressionibus
& peccatis omnium hominum, recitaturi, inter
ipsum Christi meritum in se, atque ex intentione
ac voluntate Dei, consideratum, & meriti hujus
applicationem atque usum, ex parte hominum,
accuratè est distinguendum.*

XXVI.

*Prius quod attinet, usque adeo meritum obe-
dientiae ac passionis Christi universale, ipsaq; pro
omnibus omnium hominum delictis satisfactio ge-
neralis atq; catholica est, ut, quò magis abundat
delictum, eò magis superabundet & gratia per
Jesum Christum Dominum nostrum.*

XXVII.

*Quod verò applicationem & usum pretio-
sissimi hujus thesauri spectat, cum ad eum non
perinde omnes homines, ordine divinitus præ-
scripto, accurrant, fit hinc, ut satisfactionis, à
Christo parte, ex equo participes haud fiant: sed
multi, & quidem maxima hominum pars, suâ
sponte atq; malitiâ, eternùm pereat.*

Rom. 5. 20.

XXVII.

Calumnia idcirco est minimè toleranda, cum Sacramentarij, nostrà de universalitate meriti & satisfactionis Christi doctrinà, fidelium & infidelium discrimen in Ecclesià tolli; liberos Turcarum, & spurcissimos ac sceleratissimos gentiles quosque, Heliogabalum, Neronem, aliosq^{ue}, fidelissimis Dei filiis equiparari, scribunt.

XXIX.

Præterquàm enim quod meriti Christi latitudinem, cum usurpatione & fructu ejusdem, ad fideles Christianos efficaciter tantummodo pertingentem, turpiter ac malitiosè confundunt: discrimen etiam voluntatis Dei antecedentis & consequentis (quo & Dei de salute nostrà, ejusdemq^{ue} mediis, seria cura atque intentio, & hominum ergà voluntatem hanc Dei studium longè diversissimum salubriter explicatur) oscitanter omnino negligunt.

XXX.

Quantumvis ergo omnes homines actu ipso meritum & satisfactionem Christi salutariter non usurpent, nec eternum salventur: manet nihilominus vera, & ex scripturis de amplitudine, satisfactionis Christi infallibiliter deducta sententia hujusmodi.

B 3

XXX.

Gülden
Kleinorh
vom Tode
te Christi
fol. 98.

Damascen.
lib. 2 or-
thod. fid.
cap. 29.
Item in
dialogo de
Manichæ-
orum hæ-
resi.

XXXI.

» Christus Jesus, Dei & Mariæ filius, de con-
 » filio & voluntate patris sui, obedientiâ legi per-
 » fectissimè præstitâ, & passione ac morte crucis
 » acerbissimâ, pro omnibus & singulis, omnium,
 » posterorum Adæ, ipsiusque primi parentis, pec-
 » catis, justitiæ Dei actu ipso & revera exactissimè
 » satisfecit, & iis etiam, qui æternum damnan-
 » tur, salutem & vitam æternam verè acquisivit.
*Quam tbesin certis quibusdam, iisq; fortissimis,
 Et ipsis inferorum portis adraduâs fundamentis,
 superest ut stabiliamus.*

XXXII.

I. *Primum probationis fundamentum suppedi-
 tant clara scripturæ dicta, quæ Christo universa-
 lem, sine omni exceptione, restrictione, aut limita-
 tione, totius mundi propitiationem Et liberatio-
 nem à peccatis, Appropinquat assignant, quæ inter emi-
 nent potissimum sequentia:*

1. Joh. 1. v. 7 Sanguis Jesu Christi filii Dei emundat Nos
 AB OMNI PECCATO.

1. Joh. 2. v. 2 Christus est propitiatio pro peccatis nostris,
 non pro nostris autem tantum, sed etiam pro
 TOTIUS MUNDI.

Joh. 1. v. 20 Ecce agnus Dei, qui tollit peccata MUNDI.

2 Corinth. 5. v. 19 Deus erat in Christo, MUNDUM reconcilians
 sibi &c. *Hec*

XXXIII.

Hæc & similia dicta non obiter & perfunctoriè, limisq̄, quod dicitur, oculis aspicienda: sed exactiùs aliquantò ponderanda sunt, ut, & quid in recessu habeant, & quomodo à corruptelis ad-versariorum vindicari debeant, constare rectiùs possit.

XXXIV.

Tria verò cum primis in iisdem, pro ratione, instituti nostri, hic notabimus. Medium initio atq̄, authorem redemptionis nostræ. Deinde malum, à quo liberati sumus. Deniq̄, ipsum liberationis objectum.

XXXV.

Primum, Evangelista sanguinem Jesu Christi filij Dei, & Christum: Baptista verò δεικνύων ἄγνυον Dei: Apostolus Deum cum Christo existentem nominat.

XXXVI.

His vocibus in sequentibus articulis unanimiter conveniunt 1. Christum filium Dei incarnatum δεχόντων ἔπλεωτῶν τῆς ζωῆς ἔπίστεως esse, nec aliud nomen sub cælo hominibus dari, in quo salvos eos fieri oporteat. 2. Medium redemptionis esse sanguinem Christi, quâ voce synechdochicè, more scripturæ, meritoria nostræ redemptionis ratio exprimitur. 3. Christum antitypum esse agnorum

Act. 3. v. 14.
Heb. 12. v. 2
Act. 4. v. 12

typi-

typicoram, in sacrificiis V. Testamenti jugiter occisorum. 4. Personam, genus humanum redimentem, non ἄλλο ἀνθρώπου esse, sed hominem Deo personaliter unitum. Quae omnia magnitudinem, latitudinem, atq; amplitudinem redemptionis ac liberationis generis humani vehementer exaggerant.

XXXVII.

Malum, à quo dicimur liberati, diversimodè exprimitur. Uterq; Johannes peccatum illud nominat, non distributivè, sed collectivè sumptum, quod innuit particula OMNIS, quae & labem originalem, & universa ad unum omnia delicta actualia, maxima cum minimis, includit. Evangelista insuper & Apostolus reconciliationis atq; propitiationis mentionem facientes, ad iram Dei, quae peccati poena erat, digitum intendunt, à quâ, in altero demùm seculo κατ' ἐξοχὴν venturâ, nos per Jesum resuscitatum ereptos, alibi Paulus scribit.

1 Thessal. i.
v. 10.

XXXVIII.

Objectum redemptionis Christi itidem distinctè profertur. Si enim scire discupias, quis redemptus sit, & quem sanguis Christi emundet? Respondet primò Evangelista: Nos; intelligens principaliter haud dubiè eos, qui actu emundati, & fideles tunc erant: consequenter verò universos & singulos, ad quos Epistola ista pertinet. Dein clariùs

rius sese explicat, nominans MUNDUM, & in illo non aliquam tantum, eamq; nobilissimam hominum partem, electos scilicet, qui mundo alioqui in scripturis opponuntur: sed ὅλον τὸν κόσμον, totum mundum, ne videlicet mortalium aliquis ab hac propitiatione, per Christum impetratâ, excludatur; quo etiam sensu Baptista & Apostolus vocem MUNDI in locis allegatis sine dubio accipiunt.

XII.

Ex hisce proinde dictis hoc modo concludere, licebit. Satisfactio infinitæ personæ, pro totius mundi peccatis, & emundatio ab omni peccato, universalis omninò est, omnesq; ac singulos homines complectitur. Talis verò, vi præmissorum doctorum, Christi est. Ergo.

XI.

Excipit ad hoc argumentum Beza, & Beatum Johannem propitiatione Christi universali non omnes promiscuè homines, electos cum damnatis, designare: Sed Judæos & gentiles duntaxat discernere dicit, ut ità nomine mundi gentiles pariter & Judæi, & ex utrâq; gente electi solummodo intelligantur, juxta quam glossam talis foret verborum Apostoli sententia: Christus est propitiatio non solum pro peccatis Judæorum,

Colloquiū
Mompelg.
fol. 546.

C

hoc

hoc est, electorum qui sunt ex Judæis: sed etiam
pro iis electis, qui sunt ex omnibus gentibus.

XLII.

Violenta profectio loci Apostolici perversio.
Initio namq, quamcumque restrictionem aut ἀν-
δραΐεσιν, pro palliandâ particularitate, hic confin-
gas, semper ἑμφασις vocum Apostolicarum recla-
mat, & ad ὄλον τὴν χεσμον propitiationem Christi
pertinere dicitur.

XLII.

Deinde probandum adhuc Bezae & sectato-
ribus illius perpetuò restat, vocem mundi, variis
aliâs significationibus obnoxiam, in ullo aliquo
scriptura dicto electos specialiter denotare, quod
quamdiu non faciunt, hoc quoque in textu acce-
ptionem istam minimè admittimus.

XLIII.

Deniq, hæc Bezae glossa semetipsam futilitate
atq, βατολογία suâ jugulat. Talis enim ex ea sensus
prodit: Christus est propitiatio pro peccatis no-
stris, electorum scilicet ex Judæis & gentibus (si-
quidem ad utrumq, populum, ut omnis alia scri-
ptura, ita quoq, hæc epistola pertinet): non autem
pro nostris tantum, sed pro omnium electorum, si-
ve Judæi sint, sive gentes, peccatis; quam inanem
πατολογία linguo ac calamo Apostolico, Spiritus
sancti impulsu agitato, absit, ut imputemus.

XLIV.

Secundum argumentum ex titulis nonnullis, ob universale redemptionis officium, Christo in scripturis passim assignatis, desumimus.

XLV.

Dicitur Messias verè Salvator mundi, Job. 4. v. 42. 1. Job. 4. v. 14. Salvator omnium hominum, maximè fidelium, 1. Tim. 4. v. 10. Benedictio omnium familiarum & gentium, Gen. 12. v. 3. Gen. 22. v. 18. Desiderium omnium gentium, Hag. 2. v. 8, &c.

XLVI.

Hæc dicta semetipsa clarissimè explicant, omnemq; particularis salvationis & benedictionis suspensionem à Christo longissimè remouent. Quem enim uno loco Evangelista mundi salvatorem dicit, alibi σωτήρ hominum nominat, & quidem non quorundam saltè, sed OMNIUM, neq; fidelium solum, sed & infidelium, id quod ἐπιζητήσις illa (mæmè fidelium) luculenter innuit.

XLVII.

Si enim inter πάντες ἀθρώπους & μάλα πιστὸς discrimen aliquid negetur, & utrobique electi, sensu Sacramentario, intelligendi sint, rursus a fœdissimâ πωρολογίᾳ notà sermo Apostolicus nullà ratione liberari poterit.

C 2

Rur-

XLVIII.

Rursus, quoties Calviniani, familiarum & gentium vocibus, genera singulorum, non verò singulos generum, denotari dicunt, non tantum collectivum τὸ πᾶν δὲ xēs MUNDUS, sed & πᾶν τῶν αἰθρῶν πῶν mentio prorsus emphatica restrictionem istam validissimè elidit.

II.

In N. Testamenti glossa marginali super hunc locum.

Nec ullius ponderis est versio Bezana, quæ, ut officium redemptionis spiritualis in beneficium, salutis atq; protectionis temporalis transformet, pro Salvatore Conservatorem perperam substituit. Quam Beza temeritatem, & vocis ἑσῶ- τῆρ & vis, & ipsa textus οὐδὲν ἄλλο sufficenter redarguit.

L.

Prodit ex dictis talis rursus illatio. Aut verè universos ac singulos homines CHRISTUS redemit, proque, omnibus omnium mortalium peccatis satisfecit, aut MUNDI OMNIUMQ; HOMINUM salvator appellari nequit. Atqui falsum posterius. Verum ergo prius sit oportet.

LI.

3. Tertium thesæos orthodoxæ fundamentum è collatione infectionis atq; contagij universi generis humani, ab Adamo provenientes, cum remedio ac

ac medicinâ, è Christo, vitæ arbore, profluente, de-
sumitur.

LII.

Illius, mali scilicet & miseriæ humanæ, ampli-
tudinem quod attinet, usq; adeò peccato miseri-
mortales ad unum omnes infecti sunt, ut cum Jobo
exclamandum hîc sit: Quis potest dare mundum
de immundo conceptum semine? ne unum Job. 14. v. 4.
quidem.

LIII.

Atq; huc pertinent universales illæ scripturæ
κατηρεϊαι, omne os obstruentes, & πίντα τὸν κόσμον Rom. 3. v. 13
ὑπὸ δυνάμει θεῶν facientes, quales quidem Gen. 6. v. 5, Ps.
14. v. 3, Es. 53. v. 6, Es. 64. v. 6, Rom. 3. v. 23, Rom. 5.
v. 12, 1 Cor. 15. v. 22, & alibi passim occurrunt.

LIV.

Nec minor hujus, meriti videlicet & salvifici
remediij Christi Jesu, vis est atq; amplitudo. Sicut Rom. 5. v. 18
enim unius delictum, in omnes homines per-
transiit in condemnationem: sic & unius justitia
in omnes homines in justificationem vitæ ex-
tenditur. Et sicuti per unius hominis inobedi-
entiam peccatores constituti sumus multi: ita &
per unius obedientiam justii constituentur mul-
ti.

LV.

Quâ in collatione peccati atq; miseriæ nostræ,
cum peccatorum antidoto, Christi scilicet justitia,

Rom. 5. v.
15 & 20.

dicto loco sepius repetitâ, illud accuratè notandum, quod gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi, peccatum non adequâsse, sed in plures ABUNDASSE, & ubi abundavit delictum, ibidem gratiam quoq; Dei, redemptione Christi declaratam, SUPER ABUNDASSE, semel atque iterum dicitur.

LVI.

tom. 3. in
Enchir. ad
Laur. c. 49

Præclare in hanc sententiam alicubi Augustinus: Utrumque igitur ab illo (Christo scilicet) id est, & Baptismus, & mors, certæ dispensationis causa, non miserandâ necessitate, sed miserante potius voluntate susceptum est: ut unus peccatum tolleret mundi, sicut unus peccatum misit in mundum, hoc est, in universum genus humanum. Nisi quod ille unus unum peccatum misit in mundum, iste verò unus non solum unum illud, sed cuncta simul abstulit, quæ addita invenit. Unde dicit Apostolus: Non sicut per unum peccatum, ita est & donum. Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem. Ita Augustinus.

LVII.

Es. 53. v. 6.
Matt. 9. v. 13
Mat. 18 v. 11

His adde quod Propheta in Messiam omnium nostrum iniquitates conjectas memorat; quod item Christus peccatores ad poenitentiam vocatum; &

&, omne id, quod perierat, salvatum venisse, dicitur; Quæ omnia redemptionem à Christo perfectam universalem omninò esse, & miseriam generis humani si non superare, at certè exactissimè adæquare, sole meridiano clariùs ostendunt.

LVIII.

Sic ergò hinc rursus inferimus. Quot quot peccato infecti in Adamo perierunt, ^{ἀπο} ^{κα} ^{τῆς} ^{ἐξ} ^{ου} Christi redempti sunt. At qui ex Adamo omnes in universum homines, nemine excepto, peccati virus contraxerunt, & obnoxij facti sunt æternæ condemnationis. Omnes ergò & singuli, ne uno quidem secluso, à Christo verè sunt & creduntur redempti.

LIX.

Quartum ^{ἰσοπέδον} ^{ἕως} medium illi scripturæ loci subministrant, quibus pro damnatis Christus satisfecisse, eosq; redemisse, asseritur, quorum unum tantummodo, alterumq; degustabimus.

LX.

Apostolus Paulus, abusum libertatis Christianæ Romanæ Ecclesiæ, omnibusq; adeo Christianis seriò dissuadens, in hanc admodum patheticam, commonefactionem erumpit: Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Idem alibi per temerariam Christianæ libertatis usurpationem, ex scientiâ instante suppullulantem, infir-

4.

Rom. 14. v.
16.

1. Corinth.
8. v. 13.

firmum fratrem, propter quem Christus mortuus est, perire pronunciat.

LXI.

2. Pet. 2. v. 1

D. Petrus Christum Dominum etiam Doctores mendaces, introducentes sectas perditionis, Christum abnegantes, & perditionem sibi metipsis accelerantes, mercatum esse, refert.

LXII.

Harminius
de Mofa
im Ges
sprech fo-
lio 214.

Allatrant sanam dicti hujus allegationem Sacramentarii Marchici, obtinentes: primò, dictum hoc agere de sufficientiâ satisfactionis Christi, pro omnibus peccatis totius generis humani. Secundò, pseudodoctores istos non fuisse verè fideles, sed ad tempus saltem Christum professos, & pro filiis Dei ab aliis (quanquam falsò) habitos esse.

LXIII.

Futilia, me Christe, & multis quidem modis futilia glossemata! Principio namq; cum sufficientiæ satisfactionis Christi mentionem faciunt, tamdiu fumos vendunt, quamdiu, neque Deum sufficientiam istam voluisse, neq; Christum eandem, unquam intendisse, neq; actu etiam quicquam unquam eam extitisse, aut fuisse, cum Beza & aliis Sacramentiperdis statuunt.

LXIV.

Nugatorium prætereà est, quod Doctores istos
men-

*mendaces fideles reverà nunquam fuisse pronun-
tiant. Si enim Dominum abnegarunt; si ali-
quando effugerunt coinquinationes mundi, in
cognitione Domini & Salvatoris nostri JESU
Christi; si cognoverunt viam justitiæ, à que eà-
dem retrorsum conversi sunt, quomodo Christo
fiducialiter nunquam adhæsisse dici poterunt?*

2 Pet. 2. v. 1

v. 20 & 21.

LXV.

*Deniq; positâ, non verò concessâ pseudodocto-
rum istorum perpetuâ hypocrisi, manet nihilomi-
nus, vi clarorum verborum textus Apostolici, eos
à Domino, obedientiâ & passione suâ acerbissimâ,
verè emptos fuisse.*

LXVI.

*Referrî ad priores allegatos textus illud etiam
potest, quod ij, qui semel illuminati sunt, gusta-
verunt etiam donum cœleste, & participes facti
sunt Spiritus sancti, & gustarunt bonum DEI
verbum, virtutesq; seculi venturi, in peccatum,
irremissibile prolabi posse, dicuntur; quod item
apud eos, qui acceperunt notitiâ, veritatis,
hujusmodi aliquod voluntarium peccatum lo-
cum habet, pro quo non relinquatur hostia.*

Heb. 6. v. 4.

Heb. 10. v.
26.

LXVII.

*Quod si peccantes hujusmodi, & per id eter-
num pereuntes, fuerunt verè illuminati, parti-*

D

ci-

*cipes facti Spiritus Sancti, gustaverunt donum
cœleste, & acceperunt notitiam veritatis salutarem,
Christi utiq; meritum & redemptio, eò quod applicatio
acquisitionem indubiè præsupponit, ad eosdem quoque revera pertinet.*

LXVIII.

*Præcedentia in fasciculum Syllogisticum hoc modo rursus colligimus. Si & pro iis, qui salvantur,
& pro illis quoq; qui æternum pereunt, Christus satisfacit,
universalis omninò, omnes ac singulos homines concernens,
Christi est redemptio. At verum prius. Ergo.*

LXIX.

5. *Quintum Theseos nostræ $\epsilon\pi\iota\sigma\tau\eta\mu\alpha$ ex universali Dei voluntate, de omnium ac singulorum hominum æternâ salute, ex universali item Evangelij prædicatione $\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\tau\iota\kappa\omega\varsigma$ mutuamur.*

LXX.

Est certè & fuit ab æterno seria atq; paterna Dei voluntas, ut universum genus humanum, omniaq; adeò & singula individua æternam salutem adipiscantur: quâ de amicissimâ Dei ergâ miseros mortales propensione scriptura adeò multis agit, ut in meridie eum cecutire oporteat, quisquis eam non videt.

Deus

LXXI.

Deus, inquit Apostolus, vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire; quod ipsum, ne quis ad ordines & genera tantummodo singulorum cum Beza protervè detorqueat, ita porrò Apostolus Petrus explicat, ut, NE

1. Tim. 2. v. 4.

2 Pet. 3. v. 9.

ULLUM quidem perire, sed omnes ad poenitentiam reverti, eundem Deum velle, scribat. Si ergo omnes salvos cupit, nullo pereunte, voluntatem certè ejus de salute hominum universalem, maximè esse, est consequens.

LXXII.

Huc spectat, quod idem ille benignissimus Deus seriò, & quidem juramento interposito affirmat, se nolle mortem impii, sed ut convertatur à viâ suâ, & vivat; & quod clarius est, se etiam morte

Ezech. 32. v. 11.

Ezech. 18. v. 33.

MORIENTIS non delectari.

LXXIII.

Prædicatio porrò Evangelij, de gratuitâ peccatorum in Christo Jesu remissione, quantum Dei voluntatem attinet, itidem est œcumenica. Judentur enim Apostoli Evangelium prædicare omni creaturæ, quod tantâ etiam industriâ executi sunt, ut in universum terrarum orbem regulæ eorum, & in fines orbis terræ verba eorum exiverint.

Marc. 16. v. 15.

Psa. 19. v. 1.

LXXIV.

Col. 1. v. 6. *adversus Judæos cap. 7.*
 Quin immò D. Paulus verbum veritatis Evangelij suo jam tempore in universo mundo extitisse & fructificasse scribit. Quod expendens Tertullianus: Christi, inquit, regnum & nomen ubique porrigitur, ubiq; creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubiq; regnat, ubique adoratur, omnibus ubiq; tribuitur æqualiter, &c.

LXXV.

Hinc ita rursus concludimus. Quorum salutem Deus seriò promotam cupit, quos etiam voce Evangelij ad regnum filij sui vocat, ad eosdem quoque Christi satisfactio pertinet. Atqui omnes promiscuè homines, sine exceptione, Deus salvos fieri seriò exoptat, omnibus etiam, quantum in se est, medium salutis, Christum Jesum, offerri curat. Ergo.

LXXVI.

6. Addimus hætenus enumeratis argumentis sextum, à periculo desperationis, ni redemptio Christi statuatur universalis, desumptum.

LXXVII.

Edisserant enim contrariæ assertionis patroni, quonam medio conscientiam afflictam, & fulmine legis perterrefactam evidenter solari, aut desperationem ac diffidentiam, ex particularitate meriti Christi subortam, avertere velint; quod

quod quamdiu præstare nequeunt, & suam nobis in hoc quoque doctrinæ capite religionem suspectam maxime reddunt, & nos in semel agnitâ veritate magis magisque confirmant.

LXXVIII.

Denique, ut, venerandum etiam sanctissimorum Patrum chorum à partibus nostris stare, constet, præcipuorum nonnullorum maxime notabiles sententias colophonis loco ordine apponemus.

7.

LXXIX.

1. Origenis: Homo non quidem potest dare aliquam commutationem pro anima sua: Deus autem pro ANIMABUS OMNIUM HOMINUM dedit commutationem, pretiosum sanguinem, filii sui.

tract. 2. in
Matth.

LXXX.

Ejusdem: Christus ad terras veniens in humano corpore passiones sustinuit PRO OMNIUM HOMINUM SALUTE, ut per passionem mortem interficeret, & per resurrectionem recidivam cunctis vitam ostenderet.

lib. 1. in
Job.

LXXXI.

Ejusdem: Descendens de cœlis unigenitus Deus in novissimo tempore, terreni corporis testâ ex virgine se induens, TOTIUS MUNDI saniem, immunditiam atque putredinem rasit atque mundavit, OMNIUM peccata supportando, cujus livore OMNES etiam sanati sunt.

lib. 2. in
Job.

LXXXII.

in ferm. de
hum. nat.

2. *Basilij*: Inventum est unum pro OMNIBUS
SIMUL HOMINIBUS dignum pretium, sanguis Do-
mini nostri Jesu Christi, quem pro nobis OMNI-
BUS effudit. LXXXIII.

lib. 9. Epi-
stola 71.

3. *Ambrosii*: Veniens Dominus Jesus, pecca-
tum OMNIBUS, quod nemo poterat curare, do-
navit, & chirographum nostrum sui sanguinis
effusione delevit. Hoc est, quod ait Apostolus:
Superabundavit peccatum per legem: super-
abundavit autem gratia per Jesum: quia post-
quam TOTUS MUNDUS subditus factus est, TO-
TIUS MUNDI peccatum abstulit.

LXXXIV.

lib. 2. de
vocat. gen.
cap. 6.

Ejusdem: Nulla ratio dubitandi est, Jesum
Christum Dominum nostrum pro impiis & pec-
catoribus mortuum.

LXXXV.

Serm. 8. in
in Psal. 118.

Ejusdem: Sol justitiæ OMNIBUS ortus est, O-
MNIBUS venit, OMNIBUS passus est, & OMNIBUS re-
surrexit. Si quis autem non credit in Christum,
generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clau-
dis fenestris radios Solis excludat.

LXXXVI.

Epist. 171.

4. *Augustini*: Passio Domini est pretium or-
bis terrarum, ille TOTUM ORBEM redemit, &c.

Ejus-

LXXXVII.

Ejusdem: Christus etiam PRO IMPIIS mortuus est, mox sacculum carnis suæ in crucis ligno persolvit, & pretium nostrum exactori reddidit. Ibi statim illum latronem fecit confessorem, ut per eum impiorum restauraret ruinam, videte redemptum, quem Diabolus possederat homicidam.

IIXC.

Ejusdem: Indubitanter credamus, quod TOTUM MUNDUM redemit, qui plus dedit, quàm totus mundus valeret. Meritum enim redemptæ mercedis dignitas insignis pretii supergressa est. Inter redemptum & redimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit. *Et paulò antè*: Hodie Dominus noster in staterâ crucis pretium nostræ salutis appendit, & unâ morte UNIVERSUM MUNDUM, sicut omnium Conditor, ita OMNIUM REPARATOR absolvit.

IXC.

5. *Cyrilli Alexandrini*: Cum per exaltationem Christi in cruce ejectus sit princeps mundi foràs, constat, OMNIBUS, per crucis vexillum devictas esse à Christo Dæmoniacas cohortes, ut sicut per lignum vicerat serpens antiquus primum Adam, unde IN OMNESTRANSIVIT mors: ita quoq; per lignum idem vinceretur per secundum Adam.

6. *Chry-*lib. 2. cap. 6
de Symb.De temp.
sermon. 114lib. 8. in Jo-
han. c. 17.

XC.

in cap. 2, 1
ad Timot.
v. 4.

6. *Chrysofomi*: Christus etiam pro GENTIBUS mortuus est, & tu pro illis non orabis? illi non crediderunt, illi non voluerunt: ipse tamen partem suam fecit, cum penderet pro iis in cruce.

XCI.

super cap.
1 Johannis.

7. *Theophylacti*: OMNIA OMNIUM HOMINUM peccata quasi in unum fasciculum & globum peccati conglomerare & colligere voluit.

XCII.

Serm. de
pass. Dom.


8. *Bernhardi*: Mirabilis passio tua Domine Jesu, quæ passiones OMNIUM NOSTRUM propulsavit, Propitiata est OMNIBUS iniquitatibus nostris, & nulli unquam pesti nostræ invenitur inefficax.


XCIII.

August. in
Enchir. ad
Laur. c. 22.

Finimus, rogantes Christum Jesum, ut mortis, passionis & satisfactionis suæ fructus ad nos in agone & morte nostrâ derivet, nosq; in regnum illud, ubi erit vita sine morte, sine errore veritas, sine perturbatione felicitas, brevi, juxta beneplacitum voluntatis suæ, introducat,

Amen.














LXXXVII.

Christus etiam PRO IMPIIIS mor-
tuum carnis suæ in crucis ligno
tium nostrum exactori reddidit.
latronem fecit confessorem, ut
rum restauraret ruinam, videte
nem Diabolus possederat homi-
IIXC.

lib. 2. cap. 6
de Symb.

lubitanter credamus, quod To-
redemit, qui plus dedit, quam to-
eret. Meritum enim redemptæ
tas insignis pretii supergressa est.
um & redimentem dispensatio
io non fuit. *Et paulò antè:* Hodie
er in staterâ crucis pretium no-
endit, & unâ morte UNIVERSUM
omnium Conditor, ita OMNIUM
solvit.

De temp.
sermon. 114

IXC.

alexandrini: Cum per exaltatio-
cruce eiectus sit princeps mundi
OMNIBUS, per crucis vexillum de-
risto Dæmoniacas cohortes, ut
m vicerat serpens antiquus pri-
nde IN OMNE transiit mors: ita
um idem vinceretur per secun-

lib. 8. in Jo-
han. c. 17.

6. Cbry-